

LECTORI

Φιλελληνι et Aequo

Quorum opera in edendis Scriptoribus, cum Graecis, tum Latinis, versatur, hi praefandi provinciam adgressi inter alia id quoque sibi negotii datum esse existimant, ut legentium studiis Scriptorem suum commendent, elucentes in eo virtutes extollant, atque commoda in lectores inde redundatura proponant. Et amplissimus fane campus in laudes Platonis excurrere gestienti pateret, eique rerum non minus, quas tractat, copia, pondusque, et sententiarum, quibus eius dialogi referti nitent, gravitas, quam orationis, qua utitur, elegantia, atque maiestas, tantum materiae suppeditarent, ut satis longus in eo laudando esse posset. Qua opera me facile posse superfedere existimo, qui iam parvam scriptorum a Platone profectorum particulam in lucem prodire iusserim. Quem enim fugit, Platoni omnium, eorumque optimorum, auctorum, quos in Graecis eminuisse constat, primum fere locum deberi? Quis ignorat, eius dialogos inde ab eo tempore,